BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
12. bis 13. Jh. Seite 141v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26263
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tondente se os suum non aperuit. Vere languores nostros ipse
portauit. et peccata nostra in corpore suo super lignum porta-
uit. Propter iniquitates nostras de terra sublatus est. Ecce cre-
atore a creaturis dominus a seruis crucifigitur. Vita nostra pro nobis in
ligno moritur. morte eius mors ipsa occiditur. quia per eius mortem
uitam eternam acquirimus. Infernus a morsu despoliatur. sicut
ipse ait. O mors ero mors tua. morsus tuus ero inferne.
Tunc enim infernum momordit. cum ascendens in altum infernum
despoliauit. et captiuos illos secum ad celum sicut dauid
prophetauerat dicens. Ascendit in altum. captiuam duxit
captiuitatem.

Resurrexit Dominus. Sermo iste affectu desi-
derabilis experientia boni. uere dulcis fructu. quia
de eternis est celesti iocunditate plenus. Vix enim exprimitur
sermonis huius prerogatiua. uix etiam concipitur spiritualis eius
continentia. cuius secundum litteram superficies. ad saluatorem
nostrum spectat et respicit. secundum moralem sensum nos informat
et instruit. Vnde et uerum est quod alibi dicitur. Christi actio
nostra est electio. Christi uita nostra est institutio. Resurrexit
dominus. Sermo iste ab origine sua compendiosus et
breuis. germana quadam ~~solitudine~~ similitudine.
cum grano synapis proprie conuenit. quod minimum cum terra iacitur.
postea in magnam arborem excrescit. ut etiam in ramis eius uo-
lucres celi requiescere possint. O quam certe felix Maria
dudum peccatrix. que prior granum hoc synapis feliciter
seminauit. ex precepto domini nuntians apostolis. quia uere